



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

De salutationis Angelicae praestantia quanta cum deuotione recitanda sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**



donum impetra: ad hunc enim finem salutationem Angelicam tibi obtuli, hanc precor vt suscipias, eaque suscepta, postulatis meis benignè annuas.

SVMENS ILLVD AVE.

*De salutationis Angelicae praestantia,  
& quanta cum deuotione recitanda sit.*

CONSIDERATIO.

*Salutatio  
nis Angeli-  
ca auctori-  
tas demon-  
stratur.*

**N**osse te oportet Fidelis Anima, salutationē Angelicam esse orationem diuinitus inspiratam, & partim ab Gabriele Archangelo partim à Beata Elisabeth, partim ab Ecclesia compositam. Angelus ad virginem ait: *Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum.* S. Elisabeth à Spiritu sancto inspirata adiecit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Reliqua, nempe, *Sancta MARIA mater DEI ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostrae Amen,* ab Ec-  
cle-



clesia addita sunt.

In hac diuina oratione Beatissimam virginem primum salutamus: deinde singularia dona & priuilegia, quibus DEVS eam ornauit debitis laudibus celebramus: quemadmodum SS. Patres & Ecclesie Doctores declarant: & denique precamur illam ut pro nobis tum in presenti vita manentibus, tum in huius vitæ termino ad aliam tendentibus intercedere dignetur. Benedicimus illam tanquam quæ maledictionem quam prima mulier in mundum inuexerat abstulerit: cõfitemur illam gratia plenam, at plenitudine longè abundantiori, quam ea quæ cæteri sancti repleti fuerunt: quia ut S. Chrysol. ait, ceteris gratia se est largita per partes, MARIAE verò simul se totam dedit gratiæ plenitudo. Propterea namque additur, Dominus tecum. Etenim ut D. Ambrosius ait, Bene sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat consecuta, est ut gratiæ repleretur authore. DEVS Pater illam.

C 7

lam.



lam obumbravit, Spiritus sanctus replevit: & verbum diuinum in utero eius carnem humanam assumpsit. Hinc est, quod S. Elisabeth ait ad eam: *Benedicta tu inter mulieres*: benedicta, inquam, dicit D. Bernardus, quæ illam generalem maledictionem euasisti qua dictum est: in tristitia paries filios: & nihilominus illam qua secutum est: *Maledicta sterilis in Israel*: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneat, nec cum dolore parturias.

Et certè quomodo maledictioni & dolori subiacere potuit cuius vteri fructus erat benedictus? Erat hic Iesus v. s. Christus fructus vitæ, non paradisi terrestri, sed cœlestis. Mater enim generis nostri, ut D. Augustinus ait, pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit: Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Bene igitur ait Elisabeth: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ven-*

D. Ber. ho.  
3. de laude  
virg.

S. Aug. ser.  
18. de sanct.



*tristui.* Et Ecclesia rectè adiecit orationem quæ sequitur, *Sancta Maria, &c.* Nam beatissima virgo, cum sit gratia plena, etiam charitate plena est, cumque sit DE I mater, magnæ apud DE V M authoritatis & existimationis est.

Quapropter rectè ac prudenter facies, si salutationem hanc ei frequenter offeras, aut si sæpius nequiter vt minimum in die: videlicet, mane, meridie & vesperi, iuxta laudabilem antiquorum Christianorū consuetudinem. Cæterum vt perfectius hoc exequaris, condecens fuerit, vt coronam siue Rosarium eiusdem virginis tibi compares, illudq; sæpissimè recites, mente interim ruminando mysteria in eo contenta, quæ sunt: Incarnatio Christi, Natiuitas, & cætera quæ neminè Christianorū ignorare oportet. Hoc verò faciens fieri non poterit, quin magnum inde spirituales fructum & consolationem inter plurimas nauigationis tuæ difficultates, percipias. Et vt maiori cum deuotione atque

*S. Athan. sic  
per Euang.  
de S. Dei-  
para.  
Rosarium  
frequen-  
tandum.*



attentione id agas, considerabis hanc salutationem Angeli præcellentissimi atque salutis animarum cupidissimi ore fuisse pronunciatam.

### GABRIELIS ORE.

*Quo cum affectu Angelus Gabriel Beatam Virginem salutauerit, & quomodo in eo imitandus sit.*

### CONSIDERATIO.



Legatio tantò præclarior & acceptior est, quantò Legatus illustrior, & muneri quod obire debet accommodatior est. Considera igitur Anima Christiana, nuncium illum qui à DEO ad virginem missus est non fuisse hominem mortis legibus obnoxium, sed Angelum immortalem: nec Angelum qualemcunque sed vnum ex nobilissimis & summis sui ordinis spiritibus, Summū enim, vt Magnus Gre-

*Greg. hom.  
24. in Euā.*